



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

VII. Vt Donatistæ in suis gradibus recipi possent, necessarium fuit ut consensus Africani Concilij firmaretur à sede apostolica, in eorum tantùm Clericorum gratiam per quos fieret unitatis Ecclesiæ ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15591

à Clericis illis gesta fuisse *οὐκ ὀρθῶς* scribit Athanasius.

Innoc. ep. ad Episcopos synodi Tolentane c. 1. & 4. an. 406.

V. Concessa verò à Romanis Pontificibus venia plurima suppetunt exempla. Innocentius primus (quem Hilarius Episcopus monuerat violatam esse intra Hispanias Ecclesiarum pacem, disciplinae rationem confusam, & multa contra canones patrum, contempto ordine, regulisque neglectis, in usurpatione Ecclesiarum fuisse commissa) adhibita distinctione totum negotium temperavit. Nam Episcoporum, qui in alienis Ecclesiis contra Nicænos canones, omisso Metropolitano, erant ordinati, plenam discussionem in synodo provinciali haberi voluit, *ut quia perperam facti erant, intelligerent id quod vitioso initio adepti erant, se diutius obtinere non posse.* Scilicet castigatam voluit esse improbam usurpationem; ne dissimulatio in deterius convalesceret, & ex consuetudine fieret regula. At verò eas ordinationes, quæ præ consuetudinis vitio contra formas canonum celebratæ erant, neglectis scilicet conditionibus quas in personis ordinandis canones requirunt, (nempe aut è foro, è militia, aut è curialibus aliqui statim adsciscantur ad sacerdotium) indiscussas relinquit, ne perturbationes Ecclesiis moveret: *Quorum factum, inquit, ita reprehendimus, ut propter numerum corrigendorum, ea quæ quoquomodo facta sunt in dubium non vocemus, sed Dei potius iudicio dimittamus.* Et mox: *Quæ si singula discutenda mandemus, non modicos motus aut scandala Hispaniensibus provinciis, quibus mederi cupimus, de studio emendationis inducemus.* Idcirco remittenda potius hæc putamus. Eam tamen legem adjecit, *ut si qui post hæc adversus formas canonum, vel ad ecclesiasticum ordinem vel ad ipsum sacerdotium venire tentaverint, unà cum creatoribus suis, ipso in quo inventi fuerint ordine & honore priventur.* Rectè negotiorum species distinxit Innocentius. Eas ordinationes discuti voluit quæ nullæ essent ob defectum potestatis, sed alias toleravit, quæ vitiosæ erant, quamvis non essent ipso jure nullæ. Hodie diceremus cum irregularibus dispensasse post ordinationem, ne scilicet Ecclesias Hispanienses perturbaret.

Ceterùm ante ordinationes peractas nec Innocentius nec aliquis ex antiquis Pontificibus indulgisset ut ad sacerdotium promoveri posset, vel laicus non antè adscriptus clero, vel bigamus, aut aliquis alius cui à Canonibus esset interdictum. Vnde Celestinus Appulorum petitionem, qui hoc se ab eo impetraturos sperabant, graviter repulit: *Quæ enim à nobis, inquit, res digna*

servabitur, si decretalium norma constitutorum, pro aliquorum libitu, licenti à populis permixta frangatur?

VI. Qui ab Ecclesia catholica ad hæresim Bonosi transferant, & ab eo ordinationem susceperant, in suis ordinibus suscipiendos non esse ex Synodi Nicænae canonibus egregiè disputat Innocentius in epistola ad Episcopos Macedoniae. Attamen ex eorum Episcoporum sententia, ne ordinati cum Bonoso remanerent, pro remedio ac necessitate temporis, ad clerum admittendos statuit: *Priora ergo dimittenda dico Dei iudicio, de reliquo maxima sollicitudine præcavendum.* Exemplum hujus clementiæ præbuerat Synodus Nicæna: quæ canone octavo Catharis sive Novatianis ad Ecclesiam redeuntibus indulgerat ut accepta manus impositione manerent in clero. Quod tamen ad ceteros hæreticos promiscuè trahi non debere graviter monet Innocentius. Attamen servanda est Augustini regula, qui docet in *hujusmodi causis, ubi per graves dissensionum scissuras non hujus aut illius hominis est periculum, sed populorum strages jacent, detrahendum esse aliquid severitati, ut majoribus malis sanandis charitas sincera subveniat.* Clericos quidem aut Episcopos ab hæresi redeuntes in suo gradu non esse suscipiendos ait, nisi illud, quod fieri non debet, pacis ipsius compensatione sanaretur. Ut ramus præcisus cum arbori inseritur, necesse est arborem leviter lædi; ita ergo & isti, cum ad radicem catholicam veniunt, nec eis, quamvis post erroris sui penitentiam, honor clericatus aut episcopatus auferatur; sit quidem aliquid tanquam in cortice arboris matris, contra integritatem severitatis, veruntamen quia neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, ad Dei misericordiam precibus suis, coalescente infortium pace ramorum, charitas cooperit multitudinem peccatorum.

VII. His testimoniis adjiciendus est Concilij Africani locus, quo duo præcipua capita demonstrantur, & apostolicae sedis auctoritas in his remissionibus gravioris momenti; & necessitas publicæ utilitatis, ut venia illa indulgeri posset. Concilio transmarino, id est, Italico, seu Capuano, vetitum fuerat ne hæretici penitentes locum suum in Ecclesia retinerent. Ideo speciali decreto opus fuit, ut Donatistæ sine injuria Universalis Ecclesiæ ab Africanis recipi possent in clero; ita ut Synodi Carthaginensis consensum sedis apostolicæ auctoritate firmari necesse fuerit. Quod ad illius sedis dignitatem demonstrandam, ut dixi, & in temperandis canonibus potestatem, est locupletissimum testimonium. Hæc sunt verba Concilij Carthaginensis: *Placuit ut*

